

ciemus. Datum Crisii die Dominico proximo ante festum beatorum Simeonis et Jude Apostolorum. Anno Domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo octauo. Mox Egregius Andreas Capitan de Desnicze Vicebanus et Comes noster Crisiensis nostram exurgens in presenciam paria earundem litterarum per nos sibi dari postulauit, que eidem duximus concedenda communi iustitia suadente, presentes autem sigillo Egregii Petri Bochkay de Razinakerezthur Vicebani et Comitum nostri Crisiensis fecimus consignari. Datum Crisii feria secunda prenotata Anno Domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo.

(Locus Sigilli in exteriori facie appressi.)

Orig. in Archivio Regni Croatiae. Priv. N. 47.

CXLVIII.

Anno 1481. Crisii.

Banus Ladislaus de Egervara una cum Nobilibus Regni Slavoniae, quanta telonia et vectigalia in Regno solvenda sint, in Regni Congregatione, prope Zagrabiam servata, determinat.

Nos Ladislaus de Egervara, Regnorum Dalmacie, Croacie et totius Sclavonie Banus, memorie commendamus, quod cum feria tertia proxima ante festum Purificationis Beate Marie Virginis Serenissimus princeps dominus Mathias Rex, dominus noster graciosus, per Magnificos dominos Michaellem Orzag de Gwth dicti Regni Hungarie Palatinum, et Comitem Stephanum de Bathor Judicem Curie Sue Maiestatis, prope ciuitatem Zagrabiensem, pro reformatione status Regni Sclavonie exstirpandisque malefactoribus et nociuis hominibus, cunctis etiam maleficiis ac prauitatibus et malis abolendis, vniuersis Nobilibus eiusdem Regni Sclavonie Crisiensis, Zagrabiensis, Varasdiensis et Werewcze Comitatum Congregationem celebrare fecisset generalem, et in eadem inter alia, que pro dicti Regni comodo et iusticie augmento acta fuere, non mediocres de et super tributis in hoc Regno vbique habitis et erectis tractatus et labores facti exstiterint, vbi comperto, agnitoque et intellecto, quod in quibusdam tributorum predictorum valde iniuste inconuenientesque et superflue exactiones a pretergredientibus cum mercantiis et aliis questoribus habite fuere, ex eisdem quedam iusta et recta, quedam vero iniusta et superflua, et proscriptione Comitum et Iudicum, Juratorumque Assessorum ipsius Congregationis condemnata exstiterent, quamuis expost